



MEMORIA

GERARDI SANDIFORT.





MEMORIA

GERARDI SANDIFORT.

MEMORIA


GERARDI SANDIFORT,

MEDICINAE DOCTORIS ET IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA PROFESSORIS,

DEFUNCTI DIE XI M. MAII 1848;

CELEBRAVIT

GER. CONR. BERN. SURINGAR.





LUGD.-BATAVORUM & AMSTELODAMI,

APUD I. H. GEBHARD ET SOCIOS.

1848.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

Inter pietatis officia, quae homines hominibus praestare iubemur voce Naturae, sanctissimum hoc esse censetur, quo parentibus liberi, praeceptoribus sese obstrictos sentiunt discipuli. Quapropter adeo non mirum est, si in antiquissimo Artis, ne dicam humanitatis, monumento, quod iuris iurandi formulam Hippocraticam vocant, futuri artifices promittere iubentur, sese praeceptorem, a quo artem didicerint, habituros esse loco parentum. Si enim parentibus vitam debemus, qua vivimus, alteram certe, qua bene vivimus, vitam, quae vita animi dici possit, habemus a praeceptoribus. Hos ergo una cum illis, singulari amore et veneratione complecti quemvis decet quam maxime, nisi qui inferior esse cupiat animalibus brutis, quorum plerisque,

in familiaritate nostra viventibus, Natura hunc instillavit sensum, ut, providam hominis curam experta, vel hero suo blandiantur, vel ipsi pastoris voci obediant. Quod ubi faciunt pecudes ratione carentes, quid ab homine fieri oportet, pleno rationis atque consilii, qui secum habitare didicit neque prorsus ignorat, quantum valeat animorum efformatio et ingenua ad virtutem omnemque honestatem institutio? Aut quis demum ipsa studia impense curare poterit et amare, quin principes studiorum vindices, quin alacres doctrinae patronos, quin praeceptores suos atque magistros, ex intimo animi sensu, colat, sequatur, diligat? At vero nemo est, ut disertissima Tullii verba meam infantiam expleant, nemo est liberaliter educatus, cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ille mutus ipse, ubi altus aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur.

Vix aliquem vestrum fore opinor, A. A. humanissimi, quin intelligat aut probabiliter auguretur, quorsum haec mea verba factura sint et quare dicendi initium fecerim a necessitudinis vinculo, quod praeceptores inter atque discipulos intercedit et quod adeo firmum esse censetur, ut ne morte quidem solvatur. Nimirum novam hisce

diebus, eamque gravissimam, cladem Academia Leidensis perpessa est et vero aegre tulit, quum extremo fato sibi ereptum doleret et etiam nunc doleat Virum Clarissimum, Gerardum Sandifortium, in Ordine Medicorum, per novem lustra et quod excurrit, docendi munere praeclare et laudabiliter functum. Cuius quidem Viri Clarissimi vitam et res gestas breviter narrare si equidem ex magno, qui supersunt, discipulorum numero in me susceperim, non habeo, quod prae me feram, nisi pietatem, qua illustris praeceptoris memoriam veneror, nisi gratiam, quam Vobis, iuvenes praestantissimi, facturus mihi videor, utpote qui dilectissimi praeceptoris iacturam mecum habeatis communem. In quo proposito exsequendo si Vos habeam consentientes, agite iam universam Viri Clarissimi imaginem in mentem nostram revocare studeamus, ut sic aliquantisper intelligamus, qualem ille bonus inter praeceptores academicos et inter viros doctos occupaverit, sive potius ornaverit locum, et quale nobis reliquerit diligentiae, doctrinae et probitatis exemplum.

Equidem, ubi Sandifortium Doctorem academicum cogito, praeclaram mihi cernere videor Albinianae in arte perfectionis imaginem. Quae

verba, si quis est, qui parum valere putet, eum necesse est in maximarum rerum ignoratione versari. Etenim Academiae Leidensi, quam illustre patrum virtutis monumentum vocari licet, praeter alia bona quam plurima, haec contigit felicitas, ut omni tempore celebratissimam habuerit Scholam Anatomicam, ita ut tum in aliis, tum in hoc doctrinae genere praesertim, digna fuerit Academiarum exterarum aemula et vero plerasque ex his superaverit. Cogitemus, quaeso, ne de Ioanne Heurnio dicamus, de quo incertum est, utrum ante annum seculi decimi sexti octogesimum septimum, Anatomiam in hominum cadavere, efflagitantes docuerit discipulos, cogitemus, inquam, qui ab eo inde tempore, in Academia Leidensi deinceps se exceperunt, viros summos, Gerardum Bontium, Petrum Paauwium, Ottonem Heurnium, Adrianum Falcoburgium, Ioannem Hornium, Carolum Drelincurtium, Antonium Nuckium, Godofredum Bidlooum, Ioannem Iacobum Ravium, Bernardum Siegfried Albinum, Fridericum Bernardum Albinum et Eduardum Sandifortium. Ex his nemo est, quin suas quisque habuerit laudes, nemo quin egregie locum suum ornaverit (1). Attamen principatum meretur Bernardus Siegfried Albinus,

in quo viro prorsus incomparabili perfectissimum et omni numero absolutum Anatomi clari exemplum viderunt aequales, admiratur aetas nostra, admirabuntur posteri. Sive enim praestantissimam, qua Albinus excelluit, cogitemus secandi et explorandi methodum; sive oculos et animum advertamus ad splendidissima, quae Academiae nostrae supersunt, a viro Clarissimo fabrefacta, specimina anatomica; sive elegantissimas, quibus res suas illustravit, inspiciamus picturas, tum ab Admiralio vivis coloribus expressas, tum praesertim a Wandelaario aeri incisas et a nemine superatas; sive accuratissimam et concisam, qua usus est, cogitemus scribendi rationem, ut vix verbum abundare aut supervacuum esse videatur; sive tandem ad res ipsas attendamus ab Albino primum detectas, aut melius exploratas et accuratius descriptas, in singulis et omnibus profecto iustissimam habemus viri Clarissimi laudandi et suspiciendi causam. Quaecunque enim Albiniana sunt, magnam prae se ferunt excellentiam et perfectionem, singula admirabilem et harmonicam declarant conspirationem et ad ipsius Naturae fidem prorsus efficta sunt, ita ut non magis in Albini artificiis, quam in ipsius scriptis, lumen afferat

ordo, et ut in utrisque pulcri sensum et amorem veri videamus expressum (2). Iam vero ad exquisitum hoc et illustrissimum Albini exemplum sese totum composuit et mentem suam efformavit Sandifortius. Quid? quod utrique, praeter industriae fructus, multa quoque fortunae bona fuerint communia. Uterque patres habuerunt in Medicorum Ordine Professores et summa cum laude in Academia Lugduno-Batava docentes; uterque ex patris sui institutione plurimum profecerunt et adeo laudabiliter academicis studiis functi sunt, ut summos in medica arte honores, sine praevio examine et disputatione inaugurali, honoris causa, fuerint adepti; uterque, academicis studiis vix absolutis, duorum et viginti annorum aetate, Anatomiam in hac Academia docere coeperunt, primum Lectoris titulo ornati, sensim deinde ad stationem altiorem promoti. Plura sunt; nam in singulorum statione hoc quoque notabile est, quod uterque per plurimos annos primum solam Anatomiam, deinde autem, sive omissa hac sive retenta, Physiologiam corporis humani professi sint; tandem utrique viro Clarissimo licuit ad senectutem pervenire et cum honore vita defungi. Attamen de hac externa vitae conditione, quam Albinus et Sandi-

fortius habuerunt communem, vix mentionem fecissem, nisi coronidis loco addere possem, suppari eosdem fuisse ingenio, insatiabilem in utroque notatam esse corporum naturalium, vegetabilium non minus quam animalium, explorandorum cupiditatem (3), non mediocre, sed prorsus eximium utriusque fuisse artium elegantiorum studium et in artifices ipsos favorem (4), et vero, ut rem paucis absolvam, prorsus eamdem fere, aut certe simillimam, utrumque habuisse discendi, docendi et scribendi methodum. Sin autem quaeratis, quomodo fieri potuerit, ut Sandifortius, qui Albino aetate longe inferior fuit et quem sola patris institutione anatomica usum esse constat, Albini tamen mentem et in artificiis methodum proxime assequi potuerit, hoc igitur si miremini, teneatis velim, viros doctos et in genere suo excellentissimos non solum, quamdiu vivant, institutione sua prodesse et ut plurimum praeclaros informare discipulos, verum iisdem hanc quoque contingere felicitatem, ut post mortem etiam aliis vivere pergant et illustre, quod posteri imitentur, in scriptis suis relinquant diligentiae, sagacitatis et doctrinae exemplum. Ubi igitur Albinus ab Anatomia publice docenda destitit, ob infirmam corporis

valetudinem, laborem sibi quodammodo levari cupiens, minime interiit ipsum scholae Albinianae ingenium. Qui enim in hac artis parte, anno 1745, instauratori scholae successit, frater natu minimus, Fridericus Bernardus Albinus eximium et prorsus unicum, quod in fratre et praeceptore, quo octodecim annos minor fuit, admiratus erat exemplum, ita secutus videtur et imitatus, ut in schola anatomica Leidensi tunc quidem mutata fuerit docentis persona, minime autem indoles atque ingenium. Quem autem utriusque Albini tum discipulum tum successorem fuisse novimus, Eduardus Sandifortius, insigne suo tempore Academiae nostrae lumen et ornamentum, universam Albinianam methodum atque doctrinam adeo assecutus erat (5), ut anatomicae scholae Leidensis famam non solum vindicaverit, sed vel maxime auxerit et amplificaverit. Quapropter non adeo mirabimur, si iuvenile Sandifortii nostri, quem nunc laudamus, ingenium ex hac paterna disciplina multum profecerit et iam mature imbutum fuerit et excultum plerisque iis dotibus, quibus ad excellentiam in rebus anatomicis praesertim opus est.

Qualem vero Anatomiae Doctorem in hac nostra Academia sese praestiterit Sandifortius,

ex communi fere omnium eorum, qui viri Clarissimi institutione usi sunt, testimonio et consensu apparet. De eo quippe ita inter plerosque convenit, ut vix unquam ullius audita vox sit qui dissentiret, Sandifortii Anatomi tum exemplum tum institutionem vix satis posse celebrari. Nec mirum. Si enim in praeceptore requiras, ut vel voce sua vultuque declaret singulare studium atque amorem, quibus disciplinam suam prosequitur, in Sandifortio utique clarissimum huius rei exemplum nobis cernere licuit. Quoties ego hunc virum, et mecum sexcenti alii, audivimus, in ipsis hominum ossibus, a quorum explicatione fieri solebat initium, praesentes fossas, rimas, foramina, apophyses, processus, spinas, cristas, lineas asperas aliasque res, quae quidem minutissimae esse videntur, sed intellectae summam habent utilitatem, eo sensu et animo discipulis indicantem, quasi horum oculos in pictura quadam ad lucis umbrarumque praestantiam, aut ad gratam colorum formarumque varietatem converti cuperet? Quoties musculi aliusve partis pulchritudinem ex intimo animi sensu sic celebrantem audivimus, ut, licet subinde quis auditorum clanculum subrideret, — quominus enim unquam aperte fieret, obstabat

summa dilectissimi praeceptoris veneratio, — omnes tamen admiraremur animi alacritatem, qua vir Cl. res retractabat centies explicatas? Sin autem, ne in solo cortice haereamus, Sandifortii cogitemus in artificiis anatomicis exemplum, neutiquam sane dubium est, quin nequeamus habere praestantius. Anatomiam quippe magis ex corporibus ipsis, quam ex scriptorum libris, aut figuris arte paratis, petendam esse opinatus, sibique persuasum habens, partes omnes, quoad eius fieri possit, recentes et simpliciter praeparatas esse considerandas, adeo praestantem, diuturna potissimum exercitatione excultam, sibi comparaverat incidendi methodum, ut vix naturae magis congruam aut ad singulas partes simul oculis exhibendas aptiorem cogitare possimus. Quid quod ab arte ea, quam *mortuorum lacerationem* vocavit Celsus, minime omnem abesse elegantiam, concinnitatem, nitorem, exemplo suo probaverit? Ad hoc autem perfectissimum praeceptoris exemplum, quod non minus compendiosa eminebat simplicitate, quam accuratissima diligentia, optime sese conformare potuerunt discipuli, utpote vir Cl., opportuno anni tempore, partes quascunque corporis, quarum sedem, positum, ordinem omnem-

que figuram in scholis erat explicaturus, idem ipse praepararet iisdem horis, quibus moderabatur ipsas discentium exercitationes anatomicas, in quibus praestantissimum scientiae huius discendae praesidium positum esse sciebat, cuius quippe accurata cognitio mirifice promoveatur, si singulas corporis partes ubique possint discipuli usurpare oculis, et vel contrectare manibus.

Ut Sandifortii exemplum, sic academica quoque viri Cl. institutio futuris Medicis plurimum profuit. Nam si quaeratur, quale fuerit scholarum anatomicarum, quas Sandifortius habebat, ingenium, nullus dubito, quin declarem, eas quam maxime excelluisse tum insigni perspicuitate, quam nemo in docentibus parvi faciendam esse existimaverit, tum grata rerum varietate, qua, ubi moderata fuerit, mirifice discentium promoveri potest attentio. Itaque in anatomicis, ut vocari consueverunt, demonstrationibus Sandifortius saepissime, tamquam ἐν παρόδῳ, dicendi argumentum sumebat aut ex Anatomia et Physiologia comparata, quae vocantur, aut ex Anatomia chirurgica, quo nomine insigniri constat doctrinam istarum regionum corporis, quarum notitia ii praesertim indigent, qui in cognoscendis et curandis herniis, luxationibus, morbis

arteriarum aliisque proficere cupiunt, aut etiam ex pathologicis, ex symptomatologia praesertim et universa morborum organicorum doctrina, aut tandem ex disciplinis medicis aliis, quoties sic discipulorum scientiam augeri posse aut magis fructuosam fieri opinabatur. Non ideo mirum, si hisce scholis non solum diligentissime interfuerint iuvenes studiosi, ad Medicorum scholas praeparandi, sed easdem quoque ut plurimum frequentare perrexerint ii, qui iam in eo erant, ut stadium academicum brevi absolverent.

Praeter anatomicas scholas, Sandifortius quoque physiologicas habuit. Quae si non eos semper, quos potuissent, tulerint fructus, equidem formam magis, quam ingenium, accusandam esse opinor. Si quis enim hac seculi luce, et post artem, qua libri, cogitata hominum continentes, facillimo negotio multiplicantur et ad plurimorum notitiam perferuntur, dudum inventam et perfectissime excultam, si quis, inquam, hoc tamen tempore, pensa academica coram auditoribus de scripto legere pergat, huic utique metuendum est, ne aut in tarditatis atque inertiae, quae tamen a Sandifortio longissime abfuerunt, suspicionem incurrat, aut displiceat discipulis, qui loquentis potius et disserentis

quam legentis et recitantis vocem audire cupiunt praeceptoris. Quapropter maxime dolendum est, Sandifortium in docenda Physiologia non eamdem adhibuisse libere disserendi methodum, qualem sequebatur tum in anatomica institutione, tum etiam, quoties in schola physiologica ipsius argumenti natura ferebat, ut res satis lucide explicari non possent sine speciminum anatomicorum aliorumve adminiculorum auxilio. Hoc autem eo saepius fiebat, quo pluribus corporis humani physiologia abundat locis, qui eiusmodi potissimum luce indigent. Ne enim dicam de vasis ad capillorum instar tenuibus aut de lymphaticis aliisque, quae, nisi arte impleta fuerint, ne oculis quidem cerni possunt, cogitemus intricata sensuum externorum munia, organorum singularium evolutionem et metamorphoses, variam distributionem nervorum, quibus oculus, lingua aliaeque partes singulares instructae sunt, et, ne alia commemorem, cordis aliarumve partium functionem, quarum mechanismus proxime ab ipsa structura organica pendet. Sed haec mittamus et revertamur in viam, a qua paulisper sumus digressi, ut indicaremus, satis frequentem Sandifortio fuisse opportunitatem, ut lectionis taedium sermone,

ut dicunt, extemporali compensaret, quod ubi fiebat, mihi et aliis semper gratissimum fuisse memini. — Si quis tandem opinetur, ut de ipso scholarum argumento dicamus, si quis igitur opinetur, Sandifortium in hac institutionis academicae parte, paulo nimis fuisse addictum iis, quae patrum memoria inventa sunt et probata, is utique videat, ne in iudicio suo opinione praeiudicata fallatur. Licet enim, tum ex summa scholae Boerhavianae in Academia Leidensi auctoritate, tum ex Sandifortii ingenio, quod ad studia anatomica prorsus conformatum fuisse monuimus, probabiliter augurari possimus, Anatomiam praecipuum fuisse doctrinae physiologicae, quam profitebatur, fundamentum, minime tamen propterea existimari licet, non nisi doctrinam Hallerianam et Albinianam fuisse, quam in physiologicis scholis, ambabus ulnis amplexus sit. Eiusmodi enim negligentia eorum, quae protulit aetas posterior, in Sandifortium eo minus cadere potuit, quo maiori excellebat vir Clarissimus studiorum diligentia et scientiae promovendae cupiditate, et quo pluris faciebat praeclara Bichati, Caroli Bellii aliorumque inventa, in quorum scriptis penitus habitabat. Si quid igitur in scholis physiologicis, spectato universae do-

ctrinae charactere sive ingenio, desiderari potuerit, me quidem iudice hoc est, quod non ab omni parte eam retulerint, solis observatis et experimentis superstructam, evidentiam empiricam, ab eiusmodi interpretatione, quae naturam organismi humani virium coniecturalium auxilio explicet, prorsus alienam, ad quam postremo hoc tempore et quidem a paucissimis inde annis, Mulleri aliorumque principum Physiologorum coniunctis laboribus hoc disciplinae genus evectum est. Hanc autem rem nemo erit, qui aut magnopere miretur, aut in Doctore academico aegre se ferre profiteatur, si meminerit Sandifortium per quadraginta et septem annos, et usque ad aetatis suae sexagesimum nonum fere expletum, hoc docendi munere functum esse. Itaque memores simus praecepti, quod iubet humanitas, ne a sene postulentur, qualia soli praestare possunt viri plenum aetatis vitaeque vigorem habentes, et ne paucis, si viri docti imaginem lustramus, offendamur maculis, ubi nitent quam plurima.

Quae hactenus a me dicta sunt, utique probare poterunt praeclara Sandifortio fuisse de institutione academica merita. Nec enim is vere, ut opinor, viri magni nomen merebitur, cui ne minimum quidem laudis detrahi possit; at

vero, qui nullam ferre possunt iacturam, hos potius inopes dicas, quam magnos. Et hoc tamen viri magni et prorsus eximii nomine Sandifortius fuit dignissimus, idque ab omni posteritate merebitur. Itaque, si Doctoris academici vocem una cum morte interire dolemus, magnam profecto laetandi causam habemus, si praeceptorum nostrorum industriae et ingenii fructus superesse, si artis eorum et scientiae monumenta exstare videmus et perennare. Ab hac autem parte grata et accepta Sandifortii memoria, nullus metus est, ne aut apud nos aut apud exteros unquam sit interitura. Facta sunt, quae loquuntur et quae aere manebunt perenniora. De quibus pauca saltem, quo melius res gestae intelligantur, nisi in memoriam revocare studeam, equidem nunc officio meo defuisse videar.

Primo igitur loco videamus, quo potissimum modo altera muneris sui academici parte, sive Musei anatomici custodia functus sit Sandifortius, quidque ad hanc supellectilem contulerit et augendam et ornandam. In quo quidem gerendo munere quid praestiterit viri Clarissimi industria, optime assequemur, si aut cogitemus operam, qua alios aliorum labores suppleri vel emendari

oportuit, aut ad insignes attendamus accessiones, quae Museo anatomico, iam pridem ex multorum artificiis composito, factae sunt ab eo inde tempore, quo cura eius et custodia in Sandifortium transiit. Licet enim utriusque Albini et patris Eduardi diligentia factum esset, ut, ubi Sandifortius ad docendam Anatomiam et ad curanda huius adminicula, ex Illustrissimorum Academiae Curatorum auctoritate, accessit, minime molem invenerit indigestam, ex copiis Ravianis, Albinianis, Doeverenianis, Ledeboerianis aliisque compositam, sed contra in iis, qui antea hoc munere functi erant, praeclarum habuerit accurationis et sagacitatis exemplum (6), multa tamen prospera et adversa, quae ab eo inde tempore, Museo anatomico Leidensi contigerunt, novos eosque quam maximos pepererunt labores, qui, ut postulabant Academiae commoda, nisi summa virium intentione et assiduitate, exantlari non potuerunt. Nimirum quum ante hos quadraginta annos, pars huius urbis fatali pulveris pyrii explosione vastaretur, factum est, ut multa quoque artificia, quae ad illustrandam oeconomiam humanam, tum sanam, tum vi morborum mutatam, in Museo anatomico asservabantur, aut penitus perierint, aut multis

modis fuerint mutilata; quam sortem iniquam praesertim experta est Gualtheri Doevereni collectio, quae post viri huius Clarissimi mortem, emtionis lege, in Academiae venerat possessionem. Itaque damna, tum his, tum ceteris artificiis et inter haec Ruyschianis quibusdam, inter Doevereniana servatis, illata non sine magno labore, idque in communi, quae mentes hominum occupabat, consternatione, et deficiente, quo opus erat, congruo adminiculorum apparatu, resarciri potuerunt, praesertim quum pleraque receptacula vitrea, quibus specimina partium mollium, ut vocantur, recondebantur, fracta essent et lacerata. Interim iacturam, quam hoc infortunio, tum etiam ipso tempore, eiusmodi quoque artificiis infestissimo, vel tunc vel iam ante Anatomica supellex perpessa erat, egregie compensarunt nova, quae huic Museo facta sunt, incrementa. Praeter collectionem enim Rocquettii, Medicinae Doctoris, Anatomiae et Chirurgiae Lectoris Harlemensis, quae post viri obitum, ab Illustrissimis Academiae Curatoribus coëmta, Museo accessit, locupletissimi eidem accesserunt Brugmansiani et Bonniani rerum anatomicarum thesauri. Post mortem quippe Sebaldi Iustini Brugmansii, facundissimi quondam

et ab omni parte eximii Academiae nostrae Doctoris, Museum anatomicum, Regis Augustissimi Guilielmi I liberalitate et benivolentia, auctum est ditissima et splendidissima, quam vir ille Clarissimus reliquerat, speciminum anatomicorum collectione, ad illustrandam praesertim Anatomiam tum comparatam tum pathologicam destinatorum. Eamdem fere sortem habuerunt Andreae Bonnii, Professoris quondam Amstelodamensis, die 3 mens. Septembris 1818, octogesimo secundo aetatis anno exstincti, artificia, quae vix minoribus laudibus sunt praedicanda. Ex his enim, per Eiusdem Regis munificentiam factum est, ut Museo anatomico Leidensi singula inseri liceret, quaecunque aut ex anatomicis desiderarentur, aut calamitate quadam mutilata essent, aut seriem speciminum, ad Physiologiam comparatam facientium, amplificare possent, aut tandem ex pathologicis magnum haberent momentum, sive ob raritatem et insolentiam, sive ob additas morborum historias, sive tandem ob simulacrorum, a peritis artificibus pictorum et cum ipso archetypo servatorum, praestantiam. Itaque sic factum est, ut ex Bonnianis quoque copiis, quarum partem a Leidensibus non desideratam nacta est Academia Gandavensis, mul-

tum augmenti et ornamenti Museum academicum Leidense perceperit. Hinc autem, ut iam ad Sandifortium redeamus, intelligemus, quanta diligentia et quot studiorum lucubrationibus opus fuerit, ut ex tam magno artificiorum numero unum et integrum vir Clarissimus componeret doctrinae adiumentorum thesaurum, quo discentium ingenia non obruerentur, sed ad Naturae studium invitarentur, ordine ipso suppeditante lucem, et varietate speciminum augente studiorum delicias. Sed qualis fuerit huius operis peragendi natura, iam ipsis lubet Sandifortii verbis explicare: »Rem fuisse satis arduam, inquit, plenamque laboris, non est quod diffitear: Brugmansius enim nullum reliquerat catalogum, neque singulis speciminibus descriptio addita erat; plerisque brevi tantum adscriptum, quae corporis partes exhiberentur, morbosisque hic illic addita morbi historia. Quo factum est, ut longe maximam partem penitus explorare debuerim, et cum virorum doctorum scriptis conferre, ne in definitione ac descriptione errarem. Simul fuit brevitas sectanda, vitandaeque orationis ambages, ne descriptio speciminum 4081, quibus sola Brugmansii collectio constabat, in immensum excurreret. Itaque quae multis ad-

ditae erant historiae morborum, aliae aliis sermonibus conscriptae a chirurgis militaribus, qui aegrotantes curassent, in brevius contraxi, eaque tantum excerpsi, quibus ipsorum speciminum illustratio indigere videretur, omissa earum rerum mentione, quae quotidie in morbis chronicis observantur." De Bonnianis haec monet vir Clarissimus: »horum omnium aderat quidem catalogus, sed iusto brevior ille, et post Bonnii obitum concinnatus: adeo ut denuo omnia mihi describenda essent, in eumque ordinem redigenda, quem in Brugmansiana collectione secutus eram." At vero tenendum est, antiquiores illas collectiones Ravii, Albini, Doevereni aliorumque ad Sandifortii usque aetatem separatim fuisse servatas, nunc autem virum Clarissimum ratum habuisse, ut singula ista membra in unum coalescerent et integrum corpus. Quem quidem laborem adeo perfecte exsecutus est Sandifortius, ut omnia uno neque interrupto ordine, qualem Physiologia postulat aut naturalis morborum affinitas in rebus pathologicis commendat, semet invicem excipiant; quo facto, ii qui museum spectant, singula ab uno artifice parata esse opinarentur, nisi additis literis initialibus et numero singulari indicaretur locus, quem sin-

gula specimina ante in privata Albini aliorumve collectione tenuerunt. Hac igitur ratione optime cautum est, tum, ut nulla rerum semel dispositarum et ordinatarum oriri possit confusio, tum etiam ut in singulis suae cuique tribuantur laudes. Quominus autem haec vel alia persequamur speciatim, aut anxie enumeremus ea, quae ipsius viri Cl. artificio debentur, vetat instituti nostri ratio. Ubi enim loquuntur testimonia rerum, non opus est verbis. At vero neminem ex intelligentibus fore opinor, quin ex universa Musei anatomici Leidensis physiognomia ipsius naturam cognoscat atque ingenium, quin ex artificiis perspiciat, qui pararunt curamque habuerunt, artificum excellentiam et perfectionem, in ipso rerum selectu et praestantia non minus, quam in ordine et dispositione conspicuam.

Superest, ut de doctrinae monumentis dicamus, quibus, scribendo, tum famam suam optime tueri, tum scientiae nostrae prodesse studuit Sandifortius.

Primum igitur Sandifortio iuveni, quum inde ab exeunte seculo superiori, ut patris vices exciperet onusque quodammodo levaret, Prosectoris atque Adiutoris in re anatomica titulo insignitus esset, haec contigit felicitas, ut prae-

stantissimo quodam doctrinae artisque specimine palam probare posset, sese locum, quem nactus esset, non mediocriter ornaturum, sed vel ad grandiora, in quibus elaboraret, a Natura factum et conformatum esse. In Tabulis anatomicis quippe, quo titulo liber editus est (7), tum, celeberrimi Antonii Scarpae praecepto obsecutus (8), situm viscerum thoracicorum et abdominalium, ut nemo recte fecerat ante, tam ab utroque latere, quam a parte posteriori, depinxit verbisque accurate descripsit, tum, quid Anatome conferat ad abditas morborum causas sedesque detegendas, memorabili probavit exemplo in observatione *de aneurysmate arteriae iliacae internae, rariori ischiadis nervosae causa.* Quod autem in his sibi proposuerat consilium, ita assecutus est Sandifortius, ut non solum in patria, sed apud exteros quoque, ab omni parte, peritorum suffragia tulerit, utque pathologicam illam, de qua dixi, observationem dignam censuerint Medici in aliis terris viventes, quam in patrium sermonem conversam ad plurimorum notitiam perducerent (9). Quid, quod vel nunc, ad has studiorum primitias animum attendentes, non iuvenilem laborem, in quo crudae aetatis acerbitatem saepissime detegunt

exercitati, sed librum viri in arte sua consummati, id est, coctos et maturos exculti ingenii fructus, nobis exhiberi putemus? Praeter ea autem in hisce Tabulis, quarum postremus fasciculus in lucem prodiit anno huius seculi quarto, tum etiam in aliis proxime secutis, quibus fratris Pauli Iohannis Dissertatio *de deglutitionis mechanismo* illustratur (10), prima accepimus, et haec maxime laudabilia, Sandifortii in arte pingendi peritiae specimina, in quo quidem artificii genere adeo excelluit, ut ab hac etiam parte, cum Arentio Cantio, Petro Campero, Samuele Thoma Soemmerringio paucisque aliis, quos artes elegantiores cum anatomicis studiis coniunxisse constat (11), comparari mereatur.

Praeclarissimum autem Sandifortiani ingenii monumentum, indefessae plurium annorum industriae fructum, conspicere licet in opere splendidissimo quod *Musei Anatomici Academiae Lugduno-Batavae descripti* nomen fert. Quem quidem librum, a patre Eduardo coeptum, summisque peritiorum iudicum encomiis celebratum (12), sic continuare et absolvere licuit Sandifortio, ut perfectissimum patris exemplum (qui in picturis manu usus erat Abrahami Delfos, et in chalcographia adiutores habuerat

Robbertum Muys, Roterodamensem, et Petrum de Mare, Leidensem) omnino assecutus videatur, et ut vix aut maius officii bene praestiti testimonium relinquere aut meliorem apud posteros gratiam mereri potuisset. Sive enim animum attendamus ad accuratissimam et graphicam rerum descriptionem, sive oculis lustremus icones, ad unam omnes ab ipso Sandifortio pictas et a chalcographo Veelwaardio caelatas, in singulis utique perfectionem adeo magnam adspicere nobis videmur, ut vix aliquid, quod iure desideretur, superesse putemus ([13]). Quo magis dolendum est, librum hunc splendidissimum, Tabulis centum nonaginta septem in aes incisis ornatum, nimis pretiosum esse, quam ut multorum manibus possit versari.

Attamen Sandifortius recte intellexit, viscera aliasque partes molles, vi morborum mutatas, vix utiliter pingi posse, si iam aliquamdiu in spiritu vini servatae fuerint et omnem suum colorem aliasque notas amiserint, ideoque vir Cl. iure suo opinatus est, ossa potissimum, vario morborum genere deturpata, ad naturae fidem et ad naturalem magnitudinem pingenda esse: quam quidem rem adeo plene fecit, ut, si picturas Sandifortianas cum Ruyschianis quibusdam,

Trioenianis, Cheseldenianis et Bonnianis coniungas, integrum fere possideas picturarum, quibus morbi ossium illustrantur, systema. Licet igitur, sic faciendo, minime vituperari potuerit Sandifortius, ex universo tamen, si quid recte video, viri Clarissimi ingenio apparet, in anatomico studio, alia eum aliis praetulisse et impensius curasse. Nimirum vir Clarissimus, qui optime intelligeret, nec huius seculi esse, ut in singulis quis excellere possit, nec unius hominis, ut scientiam promovere cupiens singula persequatur, longe potius et libentius in Anatome chirurgica, ut vocant, operam suam collocasse videtur, quam in ea parte, quae, cum Praxi medica arctius coniuncta, Anatome medica solet vocari. Hunc vero Anatomiae Sandifortianae characterem testantur quoque scripta quaedam minora, in genere suo praestantissima, quibus aut morbi quidam ad Chirurgiae forum pertinentes, aut vitia nonnulla primae conformationis, ut vocant, aut denique res quaedam singulares, ex Anatomiae comparatae, qua latissime patet, campo desumtae, quam accuratissime describuntur et adiectis picturis in clarissima luce ponuntur (14). Ad quem quidem scriptorum minorum catalogum referri quoque possunt tum Andreae

Bonnii Tabulae anatomico-chirurgicae, doctrinam herniarum illustrantes, cuius quippe operis posthumi Sandifortius in se susceperit curam ([15]), tum etiam filiorum, quos iam ante patrem vita defunctos esse dolemus, Eduardi Caroli Alexandri et Iohannis Sandifortiorum Dissertationes ([16]), utpote suspicari liceat, utriusque scriptionis argumentum, a viris doctis impense laudatum ([17]), a patre suppeditatum et sub paternis praesertim auspiciis elaboratum esse. Quominus autem de his aut de aliorum, qui ex viri Clarissimi schola prodierunt, discipulorum scriptis dicamus, vetat, quae de postremo Sandifortii labore facienda est, laudabilis commemoratio. Nimirum ante hos undecim annos Sandifortius edere coepit *Tabulas craniorum diversarum nationum*, i. e. accuratissima et ad naturae fidem, ipsius viri Clarissimi manu eleganter picta, simulacra craniorum, quae ex omni fere terrarum angulo, et ex populis, pro aëris et locorum natura diversissimis, indefessa praesertim Sebaldi Iustini Brugmansii cura et labore collecta, in Museo anatomico Leidensi conservantur. In ossibus enim, quae a Natura coadunata integrum cranium constituunt, accurate exploratis et inter se comparatis praeclarum scientiae, quam Anthropolo-

giam sive historiam hominis naturalem vocamus, positum esse adiumentum, nisi dicere malis fundamentum firmissimum, nemo nescit, modo non prorsus ignoret ipsius generis humani historiam. Itaque Sandifortius, licet tres tantum Fasciculos a viro Cl. absolvi potuisse doleamus, vel sic tamen de hac hominis Physiologiae parte optime meritus est, si cogitemus, quod aliis reliquit, perfectissimi exempli naturam atque praestantiam (18).

Atque sic breviter quidem locuti sumus, quod utinam ore magis facundo fieri potuisset, de academico docendi munere, de Musei anatomici cura et de vario scriptionum genere, quibus Sandifortius tum de Academiae Leidensis fama, tum de omnium eorum, quibus Naturae studia curae cordique sunt, commodis et emolumentis, optime et quam maxime meritus est. Quapropter nemo magnopere mirabitur, si magnus discipulorum numerus, qui aut mecum ante aut postea viri Cl. institutione usi sunt, sique ex iis, qui in academica statione fuerunt aequales et socii, non plerique sed paene omnes, si, inquam, longe altius, quam quod ulla temporis vis labefactare possit, animis suis infixum esse sentiant nomen ac caritatem viri, dum in vivis erat,

praestantissimi. Ad hanc gratam Sandifortii memoriam multum quoque contulisse opinor, tum, qui viro Cl. fuerunt, optimos et aequabiles mores, tum maxime propensum in res academicas animum. Si quis enim alius, Sandifortius certe vanae inimicus fuit ostentationis, modestiae vero operam dedit amabili, honores nunquam petiit et ab omni benivolentiae captatione maxime fuit alienus. At vero per totam vitam, aliis prodesse, nemini nocere studuit, et fere supremam legem habuisse videtur iustitiam, quam fundamentum perpetuae commendationis et famae vocavit Cicero, et sine qua nihil esse potest laudabile. Quemadmodum autem inter collegas nemo facile legum decretorumque, rem academicam spectantium, existimabatur peritior, nemo iuribus academicis sartis tectis servandis tuendisque acrior et prudentior vindex, sic certissime pauci fuerunt, quibus Academiae salus et ornamentum adeo, ut Sandifortio, curae cordique essent, quippe quem sciamus nihil prius nihil antiquius habuisse, quam ut omnia ad scholae nostrae splendorem atque utilitatem referret. Quid, quod vel in animi angore summisque corporis, a gravissimo morbo excitatis, molestiis, elata voce, quasi summum et ultimum inculcandum

haberet mandatum, ita me commonefecerit: Tu vero, mi Suringari, quaeso, pro viribus enitere, ne quid damni aut dedecoris sibi contrahat Academia Leidensis: curato, quantum poteris, ut ab omni detrimento sincerus et integer conservetur, quem propediem relicturus sum, Medicorum Ordo!

Privata Sandifortii vita paucis absolvi poterit. Natus est Leidae die tricesimo primo mensis Ianuarii, anno 1779. Patrem habuit, quem supra dixi, Eduardum Sandifortium ([19]); matrem, Catharinam Iohannam Kinkeed. Gerardi nomen adeptus est in honorem avi, qui Harderovici, Daventriae, Dordraci et Hagae Comitum, ecclesiastico sacra interpretandi munere functus est ([20]). Praeceptores habuit, praeter patrem virum Clarissimum, Nicolaum Georgium Oosterdyk, Nicolaum Paradys, Meinardum Simonem du Pui et Sebaldum Iustinum Brugmans, viros Clarissimos, laude mea longe superiores, quorum omnium, ad academicam stationem evectus, in docendi munere socius fuit, et quos omnes deinceps pro naturae lege vita superavit.

Sandifortius, per omnem vitae cursum, suae ipse domui quam maxime fuit addictus, ita quidem, ut fere nunquam diutius quam per unum

diem extra urbem moratus sit, vixque semel in alieno dormiverit lectulo. Licet ex natura sua paucorum hominum esset, quotquot eum tamen propius cognoverunt, omnes animi candorem et integritatem et benivolentiam vix satis laudari potuisse sciunt.

Ceterum, ut fieri solet, laeta et tristia in Sandifortii vita saepissime alternarunt ([21]), ita tamen, ut aerumnas domesticas ipse quidem fortunae bonis et multis, quos nactus erat, honorum titulis ([22]) vix compensari existimaverit. Nullam tamen, ut nos quidem vidimus, cladem tulit gravius, quam mortem praematuram dilectissimae filiae, Clarae Petronellae Gerardinae, sedecim annos natae, tam externa specie et habitu, quam morum suavitate excellentissimae puellae. Unde intelligimus, ab eo inde tempore, quo hanc mellitam pupulam amisit, exeunte mense Augusto 1845, Sandifortii sanitatem, quae antea satis firma solebat esse et integra, exceptis molestiis, quae subinde a nephritide calculosa excitabantur, sensim esse labefactatam, donec mense Februario huius anni, non quidem coeperint, sed aucta sint morbi lethalis symptomata. Post praegressam apoplexiam scilicet, huiusque pedissequam hemiplegiam lateris dextri, quae

usque ad vitae finem adesse perrexit, morbus pectoris natus est, initio a sola innervatione laesa repetendus, postea in labem privatam pulmonum mutatus, quo sensim universus organismus adeo fuit pessumdatus, ut tandem, tardo praegresso hydrope, vita exstincta sit die XI m. Maii.

Sic iam Tibi, mi Sandiforti, cursum vitae licuit finire. Quo praeivisti, eodem Te sequi conabimur pede, non ignorantes viam nobis hominibus patere per ardua ad astra. Interim Tu habeas tibi, utut exiguum et impolitum, hoc meum perpetuum, ad Batavam simplicitatem exactum, amicitiae monumentum!

(1) Virorum doctissimorum, qui inde ab exeunte seculo decimo sexto, in Schola Leidensi, Anatomiam docuere, vitas scripsit, aut etiam ab aliis scriptas collegit et denuo disposuit, nullo neglecto, quod lucem afferre posset, praesidio, vir Clarissimus Eduardus Sandifort, in Musei Anatom. vol. I, Introd. p. III-XXXVI. Quas qui legerit, intelliget me vere, nec supra veritatem, dixisse, quod suas quisque habuerit laudes et nemo fuerit, quin egregie locum suum ornaverit.

(2) In Albini laudibus praedicandis, in quibus equidem summam tribuo auctoritatem praeceptori Boerhavio et Alberto Hallero, discipulo, gravissimum plerique et ad unum omnes scriptores recentiores commiserunt errorem, dicendo: „Voué par goût à l'étude de l'Anatomie, il s'attacha surtout à Ruysch, qui n'eut bientôt plus aucun secret pour lui, et qui lui dévoila le mystère de ces admirables injections, dont la perfection et la beauté avaient tant contribué à établir sa réputation" (A. J. L. Jourdan, dans la Biographie Médicale du Dictionaire des Sciences médi-

cales, Tom. I. Paris 1820. 8° pag. 115). Hunc errorem, cuius fontem suppeditarunt tum Iacobus Bruckerus in *Pinacotheca virorum illustrium*, tum *Commentariorum Lipsiensium* scriptores (*Memoria B. S. Albini* cet. in *Comment. de Rebus in scientia naturali et Medicina gestis*, Vol. XVII, Lips. 1771. 8° pag. 546: „Vivebant tum Leidae duo inprimis viri, qui utriusque artis (Anatomiae et Chirurgiae) docendae ac faciendae dexteritate essent nobilissimi, Ruyschius quidem et Ravius. Ad hos ergo dum se applicat Noster, iisque artem praecipiendo demonstrandoque tradentibus frequens adest, ingenii sollertiam et adsiduitatem singularem utrique ita probavit, ut, quidquid in arte eximii haberent, liberaliter cum illo communicarent."), hunc, inquam, errorem optime refutare poterunt haec ipsius Albini verba: „Ego Ruyschium semel iterumque, ac tantummodo obiter videram, priusquam ad docendum admotus essem: neque discipulus eius fui. Ruyschii collega pater meus non fuit: quippe qui in Academia Leidensi versabatur, quum Ruyschius Amstelaedami esset. Vasorum subtilissimorum cera explendorum artificium Ruyschius mihi non aperuit: sed ad docendum admotus, modos quam plurimos ipse tentavi, retinuique qui meliores erant." Vidd. Annotat. academicar. Libr. VII. Cap. XX. pag. 101 sqq. Ex hoc igitur testimonio luculenter apparet, scholae Anatomicae Leidensis ingenium, non Ruyschianum, sed Albinianum debere vocari. Si quis tamen suspicetur, Albinum non solum *αὐτοδίδακτον* fuisse, sed in methodo et artificiis multum quoque ab aliis profecisse,

equidem praeter Iohannem Iacobum Ravium, cuius summas laudes Albinus ipse disertissime praedicavit, cuiusque prorsus singularem in discipulum suum benivolentiam indicavit Eduardus Sandifortius (l. l. pag. xxiii), praesertim laudandum esse opinor Iacobum Benignum Winslowium, cuius familiaritate Parisiis usus est, cui quippe praestantissimo viro, ex sententia Halleri (Bibliothec. Anat. Tom. II, pag. 74) tribuenda sit gloria, quod, quum priores Anatomici partes corporis humani incidendas e cadavere eximerent, sic ut situs, nexus cum partibus vicinis, et ipsa saepe figura, remota cellulosa tela, tota periret, quod primus omnes corporis humani partes in suo situ, suoque cum aliis nexu, descripserit.

([3]) Quum ante Boerhavium, principatum tenente doctrina Sylviana, studia anatomica in solis fere animalium brutorum cadaveribus facta fuisse constet, ipsius autem corporis humani anatomiam praeclare restauraverint Ravius et Albinus, hoc utique maxime memorabile est, quod Albinus, recte intelligens, alia fieri posse aliis non neglectis, orationem suam inauguralem habuerit *de Anatome comparata.* De Botanices studio mentionem fecit in Annotat. acad. l. l.: „Ego quidem plus operae non impenderam anatomicis, quam partibus aliis: immo vero botanicam naturalemque historiam praecipue excolueram amabamque. Quum vero anatomicen docendi provinciam impellente patre suscepissem, ei studio me dedi." — Quaenam Sandifortii fuerint in his studiis partes, vix opus est, ut dicam. Plurima nobis supersunt tum doctrinae

specimina, tum anatomica artificia, quae diserte testantur, nullam virum Clarissimum, si qua adesset, neglexisse opportunitatem animalium, praesertim quae cum homine maiorem convenientiam habent, mammalium perfectiorum, cadavera secandi et explorandi. Quod ad Botanices studium attinet, dixisse sufficiat, post mortem Sebaldi Iustini Brugmansii, anno huius seculi decimo nono, Sandifortium non solum Horti botanici in Academia Leidensi, in se suscepisse curam, suaeque industriae publicum dedisse testimonium edito: *Elencho plantarum, quae in horto Lugduno-Batavo coluntur* (L. B. 1822 8°), verum etiam virum Clarissimum, quamdiu vacaret cathedra, ante Reinwardtium ex Indiis reducem, per tres annos et dimidium, docenda Botanica laudabiliter functum esse.

(4) Licet Albinus cum Sandifortio non communem habuerit technicam in arte pingendi peritiam, eumdem tamen non minus subtili acutoque excelluisse artificiorum, ab aliis factorum, iudicio, tum etiam admirabili manus artificum regendae et moderandae facultate, ultra dubium probant, quae vir Cl. ipse scripsit in Praefatione ad Annotat. academ. Libr. I, pag. 8 et Libr. III, Cap. XVI, pag. 72 seqq., tum quae testati sunt alii. Vidd. I. C. W. Moehsen: Von denen grossen anatomischen Werken des Herrn Albinus mit J. Wandelaars Zeichnungen und Kupferstichen; im Verzeichnis einer Sammlung von Bildnissen grösstentheils berühmter Aerzte etc. Berlin 1771, 4°, p. 124 seqq. E. Sandifort l. l. Introduct. pag. XXVIII.

(5) Quod dolendum est, quam Eduardus Sandifor-

tius, mense Februario 1803, ad deponendum summum Academiae magistratum, publice habuit, Oratio *de Bernardo Siegfriedo Albino, Anatomicorum, quotquot elapso floruerunt seculo, facile principe, Physiologorum vero sui temporis summo*, publici iuris non facta est.

(6) Quam Iohannes Iacobus Ravius Academiae Leidensi legaverat, anatomicam supellectilem, magnis multorum annorum laboribus neque exiguis sumtibus, Amstelodami et Leidae paratam, sed sine catalogo relictam, praeclare ordinavit, extricavit et descripsit Bernardus Siegfriedus Albinus. Qui vir Clarissimus qua ratione difficillimo hoc negotio functus sit, probat *Index supellectilis anatomicae, quam Academiae, quae Leidae est, legavit vir Cl. Iohannes Iacobus Rau, rogatu Illustrissimorum et Amplissimorum Academiae istius Curatorum et urbis Consulum confectus a Bernhardo Siegfried Albino, qui et vitam eius et curationem, quam calculosis adhibuit instrumentorumque figuras addidit*, L. B. 1725, 4°. Quae autem Ravianis copiis, anno 1771 (a quo inde tempore non amplius servanda esse visa sunt, quae ab ipsis Theatri anatomici incunabulis usque ad Ravii aetatem, collecta aut ab itineratoribus aliisque dono data erant, quorum mentionem fecit Eduardus Sandifortius, Introd. pag. XIII) accessit supellex anatomica Albiniana, per totum orbem tunc celebratissima, breviter ipsius artificis manu descripta erat, ita ut catalogus ipse rerum indicem contineret. Hanc descriptionem, mutato tamen ordine, Fridericus Bernardus Albinus *libello de natura*

hominis adiunxit sub titulo *Supellex anatomica Bern. Siegfr. Albini*, L. B. 1775, 8°. Doevereniana autem et alia, quae sparsim collecta aderant, ante seculi huius, quod nunc vivimus, initium, disposuit, ordinavit, descripsit Eduardus Sandifortius.

(7) GERARDI SANDIFORT *Tabulae anatomicae, situm viscerum thoracicorum et abdominalium, ab utroque latere, ut et a posteriore parte, depingentes. Praecedit observatio de aneurysmate arteriae iliacae internae* cet. L. B. 1804, fol. (in Fascicul. IV, inde ab anno 1801).

(8) A. SCARPA, *Oratio de promovendis anatomicarum administrationum rationibus.* Ticini 1783, pag. 34: „Iure equidem opinor, et antiquo et communi hominum more receptum est, resupinato cadavere, moliri ventrem, thoracem, et intima reserare, ut latitantia intus viscera, tamquam amotis repagulis, patefiant. Num vero putatis, iacentes hac ratione viscerum formas, atque ipso pondere depressas, figuras egregie a natura repraesentari? At latet interim aversa facies in dorsum atque lumbos, nec quae sit retro forma, circuitus, magnitudo, contactus, apparet: quae omnia profecto quamquam ex viscerum forma, atque ipsis locorum capacitatibus, solent ad numerum mensuramque describi, tamen veritatem sedulo requirentibus pervelim ego sensu magis, quam coniectura, oculorum magis, quam mentis iudicio determinari. Quam ob rem, perspecta iam toties viscerum thoracis, abdominis, qua anterius apparet, sede, figura, cur non et in pedes cadaver erigimus, et ducta in tergus, in lumbos secundum spinam sectione, et postica

horum, quae in pectore, quae in ventre sunt, et magnos vasorum truncos, et ramorum flexus et nexus et inflexus et numerum per lumbos et sacri ossis confinia contemplabimur? — Dicam ego et de me libere dicam, quam multa ex hoc novo rerum spectaculo, et scitu iucunda didicerim, et ad usus artis in medicis in chirurgicis utilissima."

(9) *Neues Journ. der ausländischen medicinisch-chirurg. Literatur*, *von* B. N. G. Schreger, C. W. Hufeland und J. C. F. Harless, II Bd. 1 St. pag. 184 seqq. *Edinburgh medical and surgical Journal*, Vol. III, N. 12, Octob. 1807, pag. 469 seqq. J. B. von Siebold, *Chiron*, *eine der theoretisch.*, *prakt.*, *literar. und historischen Bearbeitung der Chirurgie gewidmete Zeitschrift*, Bd. II. St. 3, Sulzbach 1809, pag. 689-98.

(10) P. J. SANDIFORT, *Deglutitionis mechanismus*, *verticali sectione narium*, *oris*, *faucium*, *illustratus.* L. B. 1805, 4° cum II Tabb. aeri incisis. In cuius scriptionis laudem legi possunt *Göttingische Anzeige von gelehrten Sachen*, St. 200, Götting. 1806, pag. 1993 seq.

(11) Praeter illustria a me indicata exempla, Guilielmus ten Rhyne, qui inter nostrates fuit, Laurentius Heisterus, Iosephus Lieutaudius paucique alii nominari possunt. Hos laudavit Iohannes Carolus Guilielmus Moehsen, in Verzeichnis einer Sammlung von Bildnissen etc. l. l. pag. 121 seqq. (Von geschickten Aerzten, die zu ihren anatomischen Werken, selbst die Zeichnungen und auch die Kupferstiche verfertiget haben).

(12) Pro exterorum, quas Eduardi Sandifortii Museum Anatomicum nactum est, censuris anonymis,

iudices afferre lubet viros duos, de quorum auctoritate dubitat nemo, Ianum Bleulandum nostratem et Iohannem Cruveilhierium Parisiensem. Ille igitur, in Praefatione ad *Descriptionem Musei anatomici Academiae Rheno-Trajectinae*, sic scripsit: „Quae ultra ducentos et quinquaginta annos Lugduni Batavorum floret Academia, thesaurum nacta est speciminum, quae Anatomiam illic docentes Viri Clarissimi summa cum cura et industria instruxerunt, ad fabricam et functiones corporis humani illustrandas; imo vero multa continet illa collectio, quae morbosa degeneratione in vivo corpore excedentem naturae operationem, vel deficientem, vel aberrantem, penitus intuentibus indicant, ex quibus difficiles ceteroquin cognitu morborum causae mirum in modum illustrantur. Indefesso enim Ravii labore, incomparabili B. S. Albini dexteritate, ingeniosissimi G. van Doeveren industria, cum iis, quae viri Doctissimi Ledeboer et Rocquette collegerunt, splendet insigne illud Museum ingenti praeparatorum ossium numero, quae, ut verbis E. Sandifortii Viri Clarissimi utar, studiosorum in usum asservantur et quotannis tot curiosos eo alliciunt. Illius igitur Academiae Curatores hunc apparatum dignissimum iudicavisse, qui per omnem literarum orbem cognosceretur, et praesertim Anatomiae cultoribus, quibus, quum in dissitis terrae regionibus degant, illius adeundi deerat opportunitas, sua tamen commoda et emolumenta praestare posset, quis mirabitur? Provincia idcirco honorifica a gravissimis amplissimisque viris oblata est E. Sandifortio viro

Clarissimo, ut descriptionem non tantum omnium speciminum huius Musei publici iuris faceret, verum etiam, quo maiore splendore et utilitate hoc opus se commendaret, obiectorum, quae maximi momenti ipse iudicaret, icones adiungeret. Ita prodiit splendidum illud opus, quod inscribitur *Musei, quod Lugduni Batavorum est, descriptio.* Quemadmodum autem tot rerum scitu dignissimarum descriptio non sine indefessa industria peragi potuit, ita etiam magni requirebantur sumtus, ut pro rerum dignitate opus absolveretur. Amplissimi vero Academiae Curatores Sandifortio laborem reddiderunt iucundissimum. Horum enim auctoritate, Academiae sumtibus, pictorem et sculptorem sibi elegit, qui sub eius auspiciis pararent elegantissimas nitidasque tabulas, quae huic operi maximo essent ornamento. O virum felicem! cui et suae et virorum, qui thesaurum hunc collegerunt, et Academiae et patriae famae atque gloriae tam magnifice consulere contigit." Iohannis Cruveilhierii iudicium hoc est: „J'ai pour devanciers et modèles une foule d'auteurs recommandables. Au premier rang se place Sandifort dont les belles planches en apprennent plus en quelques heures que des volumes de description, et qu'on peut considérer comme le père de l'Iconographie pathologique. Dans son *Museum anatomicum*, se voient indépendamment des autres pièces intéressantes, que contenait le beau Cabinet de Leide, les Collections de Raau, d'Albinus, de Doeveren, que l'administration de l'Académie avoit acquises à grands frais." Vid. Avant-propos de

l'*Anatomie pathologique du corps humain.* Paris 1833 seqq. fol.

([13]) Vidd. *Summarium des Neuesten und Wissenwürdigsten in der gesammten Medicin, zum Gebrauch praktischer Aerzte und Wundärzte*, Bd. III, Leipzig 1828, pag. 449. *Göttingische gelehrte Anzeige*, 1828. pag. 1225–1235. (Cuius censurae scriptorem sese professus est peritissimus harum rerum arbiter, Samuel Thomas Soemmerring in literis humanissime scriptis ad Cl. Ianum van der Hoeven). *Algemeene Konst- en Letterbode*, voor het jaar 1828, N°. 16, pag. 250 seqq. *Driemaandelijksch Tijdschrift*, N°. 2, 's Gravenhage 1836.

([14]) G. SANDIFORT, *Ontleedkundige beschrijving en aanmerkingen over twee hoofdelooze misgeboorten*; in *Verhandelingen der eerste klasse van het Koninkl. Nederl. Instituut van Kunsten en Wetenschappen*, V D. Amst. 1820, 4° pag. 151-182.

Ontleedkundige beschrijving van twee hersenlooze misgeboorten; ibid. VI D., Amst. 1823, pag. 251-271.

Ontleding der spieren van de onderkaak bij eene Felis pardus, Linn.; ibid. VII D., Amst. 1825, pag. 261-280.

Aanmerkingen omtrent de breuk van den hals van het dijebeen; in *Nieuwe Verhandelingen der eerste klasse* enzv. I D., Amst. 1827, 4° pag. 153-173. (Uebersetzt in G. H. GERSON's und N. H. JULIUS *Magazin der ausländischen Literatur der gesammten Heilkunde* etc. Bd. XVI, Sept. & Octob. 1828, pag. 292 seqq. Auszug in L. F. VON FRORIEP's *Chirurgische Kupfertafeln*, Hft. LX, Weimar 1833, Tab. 305).

Over de vorming en ontwikkeling der horens van zogende dieren in het algemeen, en van die der hertenbeesten in het bijzonder; ibid. N. Verh. II D., Amst. 1829, pag. 67-106.

Bijdragen tot de ontleedkundige kennis der Walvisschen (Cetacea); ibid. N. Verh. III D., Amst. 1831, pag. 223-270.

Beschrijving der onderkaak van een Olifant, welks gedaante van den gewonen vorm afwijkt; ibid. IV D., Amst. 1833, pag. 57-70.

Beschrijving van het werktuig tot vorming van het geluid bij de Simia seniculus; ibid. V D., Amst. 1836, pag. 1-24.

Ontleedkundige beschrijving van eene in vele deelen misvormde vrucht van zeven maanden; ibid. VII D., Amst. 1838, pag. 147-162.

Beschouwing van eenige zeldzaam voorkomende misvormingen aan het hoofd van viervoetige dieren; ibid. VIII D., Amst. 1840, pag. 155-181.

Ontleedkundige Beschouwing van een' volwassen Orang-Oetan van het mannelijk geslacht; in *Verhandelingen over de Natuurlijke Geschiedenis der Nederlandsche Overzeesche Bezittingen.* Leiden 1839 en verv. folio (ZOÖLOGIE), *Mammalia* bl. 29–56, met 8 platen.

(15) ANDREAE BONN *Tabulae anatomico-chirurgicae, doctrinam herniarum illustrantes, editae a* GERARDO SANDIFORT, L. B. 1828, fol. cum Tabb. XX aeri incisis. Vidd. *Göttingische gelehrte Anzeige* für 1829, N°. 73. I. N. EHRHART, *Medicinisch-chirurgische Zeitung*, Jahrg. 1830, Bd. I, N°. 5, pag. 65–72. I. F. PIERER'S

Allgemeine medicinische Annalen, Jahrg. 1830, für October, pag. 1381.

(16) E. C. A. SANDIFORT, *Animadversiones de vitiis congenitis et de fracturis articulationis coxae*, Roterodami 1836, 8°. I. SANDIFORT, *Dissertatio anatomico-pathologica continens annotationes de vitiis nonnullis acquisitis articulationis coxae*, L. B. 1840, 8°.

(17) Filii natu maximi Dissertationem impense laudavit vir illustrissimus, magna nominis celebritate clarus, FRIDERICUS AUGUSTUS VON AMMON, tum in Diario, *Monatschrift für Medicin, Augenheilkunde und Chirurgie* etc. I Bd., Leipz. 1838, pag. 93 seq. tum in opere Classico, *Die angeborenen chirurgischen Krankheiten des Menschen in Abbildungen dargestellt* etc. Berlin 1842, fol. mit 34 Kpft., pag. 116 seqq.: „Ausser den erwähnten Autoritäten muss der Verfasser aber noch mit besonderen Lobe einer zu Leyden 1836 erschienenen Dissertation vom jüngeren Sandifort gedenken. Es ist dieser Schrift als besonderes Verdienst anzurechnen, dass sie nicht bei dem Begriffe einer Luxatio femoris congenita und eines angeborenen Hinkens stehen bleibt, sondern die engere Beziehung anderer angeborener Fehler des Schenkelkopfes und Halses und ihrer Ligamente, so wie der Pfanne zur angeborenen Luxation und zum Hinken mehr anatomisch-pathologisch auffasst. Es ist dies von grosser Wichtigkeit" etc.

Dissertationis a Iohanne scriptae censura legitur in G. G. VALENTIN's *Repertorium für Anatomie und Physiologie* etc. Bd. VI, Berlin 1841, pag. 36.

(18) Pauca repetere liceat ex iis, quae alio loco et

sermone patrio scripsi, brevi post editum secundum Tabularum fasciculum, in *Algemeene Konst- en Letterbode*, April 1840, pag. 279 seqq.: „De beroemde onlangs overleden Hoogleeraar Blumenbach heeft zich door de beschrijving, vergelijking en afbeelding der schedels van verschillende volken, groote verdiensten verworven. Blumenbach werd daartoe in staat gesteld door zijne veelvuldige betrekkingen tot buitenlandsche Geleerden en door zijne buitengewoon rijke verzameling van nationale schedels uit alle werelddeelen. Dat Haller's beroemde opvolger echter door zijne *Decades craniorum diversarum nationum*, van 1790 tot 1820, ten getale van zes uitgegeven, en later, in 1828, door eene *Nova Pentas craniorum* achtervolgd, geenszins aan alle behoeften der anthropologische studie heeft kunnen voldoen, of dat daardoor althans de pogingen van anderen, die tot hetzelfde onderwerp betrekking hebben, in geenerlei opzigt noodeloos of overbodig gemaakt zijn, valt terstond in het oog, bij eene naauwkeurige inzage der beide voor ons liggende bundels van den Hoogleeraar Sandifort, onlangs onder bovenstaanden titel door Z. Ed. uitgegeven. Alle de daarin gegevene afbeeldingen toch zijn door den Hoogleeraar zelven geteekend en door den Heer Veelwaard op eene keurige wijze gegraveerd geworden. De fiksche, en mag ik zeggen, klassieke teekening en gravure, doet ons onwillekeurig aan het beroemde plaatwerk van Albinus en aan de graveerstift van Wandelaar denken. Doch niet alleen in de uitvoering, maar ook in den geheelen aanleg en in

de beginselen, die daarbij geleid hebben, munten de afbeeldingen van Sandifort zeer boven die van Blumenbach uit. Gaf de laatstgenoemde Geleerde althans sommige van zijne afbeeldingen, op eenen verkleinden maatstaf, waardoor het doen van afmetingen op de in plaat gebragte schedels onmogelijk gemaakt wordt, in de *Fasciculi* van den Leidschen Hoogleeraar worden alle de schedels in hunne natuurlijke grootte afgebeeld. Bij Blumenbach zijn de schedels of alleen van ééne zijde, of veelal ook op dezelfde wijze, afgebeeld, als men portretten, naar het leven, gewoon is te maken, dat is, half ter zijde en half van voren (driekwart), om daardoor de oppervlakkige gelijkenis, waarom het in het laatste geval voornamelijk te doen is, des te meer te doen uitkomen. Uit een wetenschappelijk oogpunt beschouwd, is deze wijze van teekenen echter voor de afbeelding van nationale schedels minder geschikt, dewijl men dan, gelijk door Professor Sandifort te regt wordt opgemerkt, noch over het aangezigts gedeelte, noch over het profiel van den schedel naauwkeurig kan oordeelen. Laatstgenoemde Hoogleeraar geeft ons daarom van alle schedels twee afzonderlijke afbeeldingen, de eene *en face*, en de andere in het *profiel*, waartoe telkens de linkerzijde van den schedel gekozen is.

Bij elke afbeelding is eene naauwkeurige beschrijving gevoegd, waarin de bijzonderheden, die bij elken schedel het meest eigenaardig zijn, opzettelijk worden aangewezen, gelijk de verschillende omvang en vorm der oogholten, de breedere of smallere wortel der

neusbeenderen, de verschillende wijdte der neusgaten, de gedaante en omvang der jukbeenderen, de plaatsing van den uitwendigen gehoorgang enz. Daarenboven worden, op het voetspoor van den beroemden Heidelbergschen Hoogleeraar Tiedemann, ook door den Hoogleeraar J. van der Hoeven in eenige belangrijke bijdragen nagevolgd, de verschillende afmetingen van den schedel, benevens den aangezigtshoek van Camper en de inwendige schedelholte, naauwkeurig opgegeven, niet alleen van het afgebeelde exemplaar zelve, maar ook van andere tot dienzelfden volksstam behoorende schedels, zoo dikwijls de Schrijver daartoe in staat was door de vergelijking van andere in het Museum aanwezige voorwerpen, of van *specimina* in zijne eigene verzameling voorhanden, of van schedels in het Museum van Natuurlijke Historie te Leiden berustende, of eindelijk door exemplaren van andere bezitters.

Wij hopen, dat het den Hoogleeraar noch aan lust, noch aan krachten ontbreken zal, om een zoo belangrijk werk, overeenkomstig zijne goedgunstige belofte, op dezelfde leest voort te zetten. De voorwerpen daartoe in het Leidsche *Museum anatomicum* voorhanden, zullen daarvoor, gelijk ons uit het derde Deel van deszelfs beschrijving, door denzelfden Hoogleeraar gegeven, bekend is, nog gedurende geruimen tijd, voldoende stof opleveren. Dat echter een werk, op die wijze uitgevoerd, zeer veel tijd en onvermoeide vlijt vordert, volgt uit den aard der zaak zelve. Moge de Hoogleeraar daarvan die voldoening smaken,

die aan wetenschappelijke werken van eene blijvende waarde, niet alleen bij land- en tijdgenooten, maar ook buiten het Vaderland en bij de nakomelingschap te beurt valt. Door zulke gewigtige bouwstoffen zal de Natuurlijke Geschiedenis van den Mensch eens voor eene volledige wetenschappelijke bewerking vatbaar zijn en zullen de velerlei thans nog onbeantwoorde vraagstukken opgelost worden. Ook de Hoogleeraar van der Hoeven, aan wien wij reeds vele oordeelkundige opmerkingen en belangrijke daadzaken verschuldigd zijn, moge voortgaan, om met dien zelfden lust en ijver, als tot hiertoe, dit gewigtige onderwerp te blijven beoefenen.

Doch niet alleen voor de beoefenaars der Natuurlijke Geschiedenis en voor hen, die in de anthropologische studie meer opzettelijk belangstellen, maar zelfs voor den aanstaanden Geneesheer kan dit werk van den Heer Sandifort het meeste nut hebben. De voornaamste grondslag toch der geheele, zoowel practische als theoretische Geneeskunde is zorgvuldige waarneming, die alleen door langdurige oefening dien trap van volkomenheid bereiken kan, die voor beider gelukkige beoefening noodig is. De aanstaande Geneesheer moet leeren zien. Het talent, om naauwkeurig en goed te zien, moge somtijds eene aangeborene gave zijn, bij elk, hetzij hij meerder of minder bedeeld werd, zal dit vermogen, gelijk de ondervinding leert, voor volmaking vatbaar zijn. Ook door de vlijtige raadpleging van deze *Fasciculi* zal de aanstaande Geneesheer in de kunst van zien geene geringe vorderingen ma-

ken, bijaldien hij, bij elke der gegevene afbeeldingen eerst beproeft, in hoe verre het hem mogelijk zij, om de kenmerkende eigenschappen van iederen schedel zelf op te sporen, en daarna de aanwijzing van den bijgevoegden verklarenden tekst raadpleegt.

Wij namen de vrijheid, het werk van den Heer Sandifort aan te kondigen. Het heeft onze aanbeveling niet noodig."

(19) De Eduardi Sandifortii vita conferri merentur: ION. GUIL. TE WATER, *Narrat. de rebus academiae Lugduno-Batavae, seculo octavo et decimo, prosperis et adversis.* L. B. 1802. 8°. pag. 110 et 233. M. SIEGENBEEK, *Geschiedenis der Leidsche Hoogeschool* etc. I D. Leiden 1829. pag. 286, 325, 393 et 402; II D. pag. 103 seqq., 115, 219 seq. *Galerie historique des Contemporains, ou nouvelle Biographie* etc. Bruxell. 1817 seqq. in v. A. C. P. CALLISEN, *Medicinisches Schriftsteller-Lexicon der jetzt lebenden Aerzte, Wundärzte, Geburtshelfer, Apotheker und Naturforscher aller gebildeten Völker*, ll. ll. XXXII Bd. pag. 90. Catalogus scriptorum E. Sandifortii, pone Orationem I. M. KEMPER, in *Annal. Academiae Lugduno-Batav.* 1816-1817, pag. 143-146. G. SANDIFORT in Introd. ad Mus. Anat. etc. Vol. III. L. B. 1827. pag. I-XI.

(20) De Gerardo Sandifortio, Theologo, vidd. *Maandelijksche uittreksels of Boekzaal der geleerde Waerelt*, Januarij 1758. LXXXVI D. pag. 89-94. G. D. J. SCHOTEL, *Kerkelijk Dordrecht, eene Bijdrage tot de geschiedenis der vaderlandsche Hervormde Kerk sedert het jaar* 1572, II D. Utrecht 1845. 8°. p, 344-347.

([21]) Ex rebus Sandifortii domesticis, tam prosperis quam adversis, haec praesertim memorari merentur:

Anno 1808, die 28 m. Augusti, uxorem duxit Charlottam Alexandrinam Elisabetham Haack.

Anno 1811, die 28 m. Aprilis, natus est filius Eduardus Carolus Alexander.

Eodem die uxorem suam dilectissimam morte amisit.

Anno 1815, die 25 m. Augusti, alteras nuptias iniit cum Susanna Iohanna Schede.

Anno 1816, d. 12 m. Iunii natus est filius Iohannes.

Anno 1818, d. 31 m. Maii, nata est Catharina Iohanna.

Anno 1820, d. 28 m. Febr., natus est Ioannes Fredericus.

Anno 1822, d. 12 m. Febr., nata est Geertruida Alida Helena.

Eodem anno, die 1 m. Martii, secundum viri Cl. matrimonium dissolutum est morte.

Anno 1825, die 21 m. Octobr., tertiam vitae sociam nactus est Ludovicam Iohannam Clasinam de Coningh.

Anno 1828, die 17 m. Ianuarii, nata est filia Clara Petronella Gerardina.

Anno 1832, die 29 Febr., natus est Gerardus Petrus Ludovicus.

Anno 1834, die 3 m. Maii, Medicinae Doctor magna cum laude creatus est filius, Eduardus Carolus Alexander, promotore patre.

Anno 1836, die 9 m. Iulii, diem obiit supremum filiolus Gerardus Petrus Ludovicus.

Anno 1840, die 18 m. Iunii, Medicinae Doctor magna cum laude a patre suo renuntiatus est filius Iohannes.

Anno 1841, die 24 m. Martii, mortuus est filius natu maximus, Eduardus Carolus Alexander.

Anno 1842, die 1 m. Sept., filia Catharina Iohanna nupta est viro Consultissimo Iacobo Steur van Vryberghe de Coningh, Notario in pago Maasland.

Eodem anno, die 1 m. Octobr., ducis navalis provinciam adeptus est filius Iohannes Fredericus.

Anno 1845, die 26 m. Augusti, phthisico morbo exstincta est filia Clara Petronella Gerardina.

Anno 1847, die 24 m. Nov., vita defunctus est filius Iohannes.

Anno 1848, die 11 m. Maii, post morbum gravissimum, per tres menses extensum, ipse vir Cl. ex hac vita exiit magnumque sui desiderium reliquit.

(22) Anno 1797, die 13 m. April., adscriptus est Societati Leidensi, quae Matheseos, Physicae, Architecturae et Picturae studiis dicata est (Maatschappij der beschouwende en werkdadige Wis-, Bouw-, Natuur- en Teekenkunde te Leiden).

Anno 1799, ex decreto Illustrissimorum Academiae Curatorum, dato d. 8 m. Febr., creatus est Prosector in Theatro anatomico et patris viri Cl. Adiutor.

Anno 1800, receptus est in Societatem Leidensem, perficiendae picturae, arti statuariae et chalcographiae dicatam, quae pro lemmate habet: *Ars aemula Naturae* (Maatschappij der Schilder-, Teeken-, Beeldhouw- en Graveerkunde te Leiden).

1801, die 31 m. Ianuarii, Medicinae Doctor honoris causa creatus est.

Anno 1801, d. 2 m. Februarii, ex decreto Illustrissimorum Academiae Curatorum, Professoris Extraordinarii titulo ornatus est, quod munus auspicatus est habita Oratione *de accuratioris et subtilioris Anatomes studio.*

Anno 1803, d. 3 m. Ianuarii, adscriptus est Artium et disciplinarum Societati Rheno-Trajectinae (Utrechtsch Genootschap van Kunsten en Wetenschappen.

Anno 1805, Universam Anatomiae docendae provinciam, ex decreto Illustr. Academiae Curatorum, in se suscepit.

Anno 1806, die 13 m. Aug., adscriptus est Societati Heidelbergensi.

Anno 1808, die 31 m. Maii, Regiae Societati scientiarum Harlemensi.

Anno 1809, die 10 m. Iunii, Societati Physico-Medicae Erlangensi.

Anno 1810, die 3 m. Sept., Societati Amstelodamensi ad promovendam Chirurgiam.

Anno 1812, 6 m. Iulii, creatus est Professor Ordinarius Anatomiae, ex decreto Magistri Supremi Universitatis Caesareae (Grand-maître de l'Université impériale).

Eodem anno, d. 13 m. Iulii, relatus est inter Iudices medicos regionis ad Mosae ostia sitae (Membre du Jury médical du Departement des bouches de la Meuse).

Eodem anno, d. 15 m. Sept., receptus est in Societatem Batavam Roterodamensem (Bataafsch Genootschap der proefondervindelijke Wijsbegeerte te Rotterdam).

Anno 1813, die 25 m. April., creatus est Actuarius in Ordine academico Medicorum.

Anno 1815, die 16 m. Octobr., ab Augustissimo

Rege Guilielmo I confirmatum est, quo fungebatur, munus Professoris Medicinae ordinarii.

Anno 1818, Adscriptus est Societati Scientiarum Zeelandicae.

Anno 1819, d. 29 m. Maii, Factus est socius Collegii ad explorandas et regendas res Medicorum (Lid van de Provinciale Commissie van Geneeskundig onderzoek en toevoorzigt te 's Hage).

Eodem anno, d. 3 m. Iunii, adscriptus est Instituto regio Nederlandico (Lid van het Koninklijk Nederl. Instituut van Wetenschappen, Letterkunde en Schoone Kunsten).

Anno 1821, in administrando aerario academico privato Viduarum, successit viro Cl. Ionae Guilielmo Te Water.

Eodem anno, d. 23 m. Dec. Receptus est in Societatem Medicam Lovaniensem.

Anno 1822, d. 27 m. Nov., Adscriptus est Academiae Caesareae Leopoldinae Carolinae Naturae Curiosorum; nomine honorifico dictus SCARPA.

Anno 1823, d. 1 m. Maii, Socius accessit Collegio ad administrandas res Carcerum (Commissie van administratie over de gevangenissen te Leiden).

Eodem anno, d. 22 m. Sept., Adscriptus est Societati Hornanae, cui symbolum est, *Vis unita fortior* (Genootschap ter bevordering van Genees- en Heelkunde te Hoorn).

Anno 1825, die 8 m. Febr., in annum ducentesimum quinquagesimum conditae Academiae Leidensis habuit Orationem secularem *de prosperis et adversis*,

quae huic Academiae post celebratum diem natàlem ducentesimum evenerunt; in Annal. Acad. Lugduno-Batav. 1824–1825.

Anno 1829, die 20 Dec., Adscriptus est Societati Medicae Bruxellensi.

Anno 1832, die 2 Oct., Factus est Senator Leidensis.

Anno 1834, die 9 Sept., Receptus est inter equites Leonis Nederlandici.

Anno 1839, die 31 m. Martii, Adscriptus est Academiae regiae Parisiensi (Membre correspondant de l'Académie royale de Medecine à Paris).

Eodem anno, die 11 Sept., receptus est inter cives, quibus ius suffragii competit.

Anno 1841, d. 6 m. Martii, adscriptus est Societati Medicae Antverpiensi (Membre correspondant de la Société de Médecine d'Anvers).

Anno 1845, die 8 m. Febr., magistratum academicum, quo altera vice functus erat, tradidit successori, habita Oratione *de Sebaldo Iustino Brugmansio, praeclaro Naturae interprete.* (Haec oratio typis nondum exscripta est.)



